

1280 (1279) März 8.

[53]

Richter und Schöffen von Coesfeld bekunden den Verkauf von Ackerland.

Nos Otto iudex, Joannes Menburgis filius, Henricus Vlameschen magistri scabinorum, Buchardus Groning, Wolterus de Dullmana, Godefridus de Turri, Godefridus de Pothove ac alii scabini in Cossvelt praesentibus protestamur, quod Sifridus Swarding, Bertradis uxor sua et eorum liberi, videlicet Arnoldus, Ludolphus, Aleidis, septem agros capientes viginti duos schepel ordeï vel circiter, sitos in parochia sancti Jacobi in Cosvelt, quos idem Sifridus, antequam dictam uxorem suam duceret et liberos ex ea procrearet, rationabiliter pro propriis bonis vendiderat Bernardo apud cimiterium pie memorie [et] in figura iudicii in Cossvelt ipsi B. et suis haeredibus plane resignaverat, secundo coram nobis in figura iudicii ad maiorem confirmationem excitandam coniunctis manibus resignaverunt in manus Aleidis apud cimiterium et Bernhardi filii sui et eorum haeredum jure proprietario sive haereditario perpetuo possidendos, nihil sibi iuris vel fructus in eisdem agris penitus reservantes. Praeterea protestamur in his scriptis, hanc resignationem tertio rite fore factam in figura iudicii Hermannii de Mervelde, praesidente iudicio Henrico Longo de Hellen libero comite requisitis, datis et approbatis hinc inde sententiis partibus ex utrisque, et sic ab omni competicione sunt divisi. In cuius rei testimonium praesentem litteram sigilli nostrae civitatis munimine roboramus. Acta sunt haec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup> nono, feria sexta ante dominicam Invocavit, praesentibus et protestantibus Hadewerco Flore tunc iudicio praesidente, Bernardo Flore militibus; Godefrido Cobineck, Joanne de Berolve, Joanne de Lordenbeke, domino Joanne praeposito Varlarensi, Arnoldo plebano, Warmundo sacerdote, Wilhelmo magistro et aliis quam pluribus fide dignis.

Kopie im Barlarer Kopiar S. 176/177.